

TRANSITUM

Tam expectatum quam exoptatum
per mundi aspera
ad coeli juba

BEATIS MANIBUS

Omni matronali laude Dignissimæ ac Nobilissimæ

FEMINÆ

CATHARINÆ

natae

AUSTENIÆ,

VIRI

Prænobilissimi Amplissimi ac Consultissimi

DOMINI

JOH. CHRISTOPH.

ELSNERI,

*Consulis Reipubl. Thorun. longe Meritissimi nec non Camerarii
Dexterrimi*

in vita quondam

CONIUGIS DESIDERATISSIMÆ,

Anno 1727. d. 10. Augusti hor. 2. nocturn. morte beata
rebus mortalium ereptæ & seqq. 15. mensis ejusd.

ritu honorifico tumulo illatæ

Ἐπιτάφιος. qualicumque adprecari voluit
debut

HENR. REICHELIIUS,

Clens subiectissimus.

Ἐπιτάφιος μερόσιχον.

ELsneria AVgVstl qVintâ bls FeMina strpe

Nobilis ad LætI translt astra polI.



THORUNII

Impressit Ioh, Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN, Typogr.

C 101

C 105

ΘΡΗΝΩΔΙΑ.



*lc, sic fugaces denique transeunt
Anni : locorum Parcaque nullibi
Mortalibus parcit, nec ullos
Respicit : heu ! miseranda fata.
Superba vagitum nihili facit
(Res nota) cuniarum, simul & preces
Ridet iuventæ supplicantis
Compositique tori jugalis,*

*Anus, crebro qua verberare scilicet
Rugosa matrem pulsat humum suo,
Tanti valoris, crede, quanti
Embrius, seu modo natus infans.*

*Pro velle cunctis rumpere stamina
Vitae laborat perbrevis hæc suo ;
Aut ducta quam-primùm subinde
Attenuare manu feroci.*

*Hanc nemo nostrum, quisquis erit, potest
Vel mille votis flectere, nescia*

*Flecti manet, dum cæpta nunquam
Hæc retro sua fila volvit.*

*Hinc, quisquis aura vesctur ætheris,
Immota lex hunc spe citius vocat,*

*Sit purpura quamvis amictus,
Seu tunica male tectus atra,*

*Frustra, quis horret bella rapacia
Rauciq; fluctus Oceani fugit.*

*Frustra minus nec quis veretur
Sidera quotquot eunt nociva.*

*Frustra quis optat continuo quoq;
Occlusa lani cernere limina :*

*Frustra quis oblectatur usque
Palladis arbore gratiosa.*

*Frustra quis annos objicit insuper
Lanuginis primæ Lachesi truci :*

*Quin porro frustra delicata
Tempora præcipitis iuventæ.*

*Nam volvat ARIES æthere sidera,
Vel signa CANCRI torrida ferveant,*

*Æquetve luci LIBRA noctes,
TROPICUS aut regat HIRCUS astra;*

Linquenda tellus est tamen omnibus.


*Linquenda nec non æra rubentia,
Horumque præter ligna quatuor
Nulla breves Dominos sequentur.*

Caros Parentes cum Socia tori,
Fratres, Sorores, dulcia pignora
Nec non suaves nos oportet
Deseruisse tamen nepotes,
Visenda tristis terra cuilibet
Nec non sepulchrum deniq; flebile,
Solvenda restat Protoplasti
Pœna semel vehemens Adami.
Si qui Patrum vel secula maxima
Hic viverent, cyclo tamen illa sunt
Minora milleno: sat ergo
Mors quod eis adeunda tandem.
Dum transit ergo quicquid amabile,
Mundiq; transit machina nobilis
Cum gloria quavis fugaci,
Transit homo pariter caducus.
In transitum solus DEVS haut cadit
Hunc ante-dictum: liber ab hoc manet,
A parte quavis semper idem
Post S ab ante sua futurus,
Quapropter hunc ad non alium decet
Constante tam, quam salvifica fide
Transire, nos ne forte lesus
Transseat usq; mali tenaces,
Sic terminus cum transierit brevis
Ævi, curvis transitus ad locum,
Qui gaudiis vere-securis
Affluit, hem! dabitur beatus,
Considerans hæc non minus indies
DEFUNCTA, quavis temporis illico
Hic transeuntis puncta sprevit,
Jubila respiciens futura.
Ac ad beatum viribus omnibus
Hunc transitum mox se prece plurima
Cingens, fide cor preparavit
Lampade ceu rutilante vera,
Qua prompta quovis tempore scilicet,
Ad transeundum, transit hinc quoque
Divi secundum jussa Patris,
Etheris incolæ nunc præ-alti,
Mœstissimus quare Viduus modum
Natusq; carus jam lacrymis dabunt,
Nec non amici, Velle summi
Esse DEI satis hoc scientes.

Nam

C 105

Nam si iuvare quis lacrymis queat,
 Auro paranda protinus hæ forent;
 Juvant at illæ forte quantum
 Invida nania Præficarum
 Ad excitandos postea mortuos.
 Hinc res acerba consilium volunt,
 Non flebiles rivus aquarum
 Ora per humida defluentes.
 Quæis fata sin hic cœlica quem semel
 Conspexerint, mox degenerem velut
 Ferire posthac, ecce, pergunt;
 Hinc Panacæa sequens tenenda:
 Certo resurget, cum cava buccina,
 Jubente CHRISTO JUDICE Maximo,
 Citabit omnes hoc ab ortu
 Solis ad hesperium cubile.
 Quod dogma sacrum (*) religiosior
 Vel Ethnicus (mirum) quoq; credidit,
 Edoctus olim perspicaci
 Lumine, quò? rationis almæ.
 Nos Christiani Numine sed pio
 Verboq; fisci præterea sacro
 Hoc symbolis ornamus altis,
 Intrepidog; fatemur ore.
 TV transitum nostrum modo dirige
 In pace, JESU! pacis amator es:
 Et fac, ut, atra morte victa,
 Ad tua gaudia transeamus.




EPITAPHIUM.

Viator.

Tempore transivi turbato tristia terræ:
 Tuque adeunda tibi tristia tanta tene.

(*) Veronæ tale cujusdam Flaciani ex Patritiis alias celeberrimi monumentum extat:
 Mibimet Flacian. Veron. sacrum constat. Qui inquietus vivus, nunc tandem mortuus
 hic non lubens quiesco. Solus cur sim quæris? ut in die censorio sine impedi-
 mento resurgam. Camerar? in hor. subciff. pl. vid. ibid.



inv. 113091

K. fol. 3 adl. 102